



**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX:|| DE
CANONICA ET MO-||nastica Disciplina collapsa
restau-||randa, pristinoqué nitori || restituenda.||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

Reverendissimo Ac Illvstrissimo In Christo Patri Ac Domino VVolffgango À
Dalburgh Ecclesiæ Moguntiacæ Archiepiscopo sacri Romani Imperij
Archicancellario, Principi Electori patrono iugiter obseruando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

REVERENDISSI-
MO AC ILLVSTRISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO
Wolffango à Dalburgh Ecclesiae Moguntiacæ Ar-
chiepiscopo sacri Romani Imperij Archicancellaria-
rio, Principi Electori patrono ingiter
obseruando.

REVERENDISSIME ac Illu-
strissime Præsul Mecænas
plurimum colende. Pasto-
ralis officij, quod in Ecclesia
Catholica Archiepiscopi exercent,
magnam quidem dignitatem & præ-
stantiam esse, at non minorem curam
& sollicitudinem, ut ipsum etymon
nominis Episcopi & Pastoris satis no-
bis euidenter demonstrat optimè C.
V. intelligit. Sanè S. Gregorius onus
pastorale seu curam animarum artē
artium appellat, & scientiam scientia-
rum, & iustissimè profectò. Nihil e-
nim præstantius aut difficilius, quam
oues ratione præditas, quas Christus
in ara crucis suo sanguine redemit, à
terrenis pascuis ad cælestia, à caducis

t 2

ad

E P I S T O L A

Genes. 31.
bonis ad sempiterna gaudia diuina
adiutrice gratia perducere, atque Dis-
ciplinæ Ecclesiasticæ freno (qua de
causa Prælatorum tot genera in Ec-
clesia instituta sunt) gubernare atque
in officio continere. Quod si S. Patri-
archa Jacob cum socii sui greges cu-
stodiendos suscepisset, tanto studio &
vigilantia eo in munere versatus est,
ut diceret die noctuque æstu vrgebar
gcluque, fugiebatque somnus ab oculis
meis, quid tandem æquum est face-
re eos, quos Deus posuit custodes po-
puli sui, & quorum fidei non viles ouiculas
sed preciosas animas emptas
recio magno credidit & commen-
dauit. In tam sublimi specula Christi-
anæ Reipublicæ C. V. constitutā, nec
magnitudo oneris nec virium sua-
rum infirmitas deterret, sed magis di-
uini auxiliij spes roborat. Memotiæ
semper eius obuersatur, quod à sapien-
te scriptum est Proverbiorum capite
vigesimo septimo. Diligenter agnosce
vultum pecoris tui tuosque greges
considera: quamlibet fidelis sit ope-
rarius

DEDICATORIA.

rarius in domo Domini & zelator
ardens Disciplinæ & legis Dei, tamen
omnino fatendum est, propter rerum
humanarum infirmam & imbecil-
lem conditionem, nisi assiduo fulci-
antur, eadem facile ingenita sua debi-
litate prolabuntur & corruunt: quare
frequenter publicas & priuatas ad-
monitiones, increpationes, correcti-
ones ex paterno affectu atque intimis
cordis feuisibus adhibere com-
memoratur. Quod enim contingit
in re familiari, ut si paterfamilias fun-
dos suos perlustret, eorum culruræ
incumbat, à villico, à seruis frequen-
ter rationem eorum quæ ab eis gerun-
tur, exigat, dubio omni procul cuncta
rectius ac diligentius administrantur,
magna cum vtilitate & fructu: idem
quoque euenit in hac spirituali cultu-
ra. Si enim spirituales cultores, quod
sui muneris est, præstent, si plantent,
ferant, rigent, si prout est necessa-
rium, horrentur, arguant, obse-
crent, increpent, modò in virga,
modò in spiritu lenitatis, in omni

† 3

patien-



E P I S T O L A

patientia & doctrina. Si quod caput
est, forma fiant gregis ex animo, seip-
sos præbeant exemplar bonorum ope-
rum, profectò fidelis est Deus , qui in-
crementum sationi, plantationi eo-
rum dabit & laboribus benedicet, vt a-
nimabus Domino Christo lucrādis
fructus vberri mos referant. Celsitudi-
nem vestram in eo spiritualis culturæ
exercitio continuò sine vlla inter-
missione versari lætor, optimè enim
perspicit curam animarum perpetu-
am quandam visitationem requirere.
Semper ager dominicus excolendus,
semper noxiæ, quæ succrescunt, her-
bæ euellendæ, etiam fructuosi palmi-
tes purgandi vt Saluator noster do-
cuit, quo fructum vberius adferant;
semper vigilandum ne dormientibus
præfectis inimicus homo in medio
tritici superseminet zizania . Scrip-
tum est enim , Domine dilexi deco-
rem domus tuæ, & locum habitatio-
nis tuæ : & domum tuam decet san-
ctitudo , Clerici verè illius milites
esse agnoscantur, cui nomen dederūt,
verè

Psal. 92. 25.

DEDICATORIA.

verè Canonici sint & ex Canonum
Disciplina vitam degant, sint sal vi-
uum & efficax, ne sal infatuatum con-
culetur ab hominibus. Etenim si po-
pulus peccauerit, orabit pro eo sacer-
dos, sed si peccauerit sacerdos, quis o-
rabit pro eo? legimus in diuinis scri-
pturis de filijs Heli sacerdotis, quod
eorum peccatum grande erat nimis
coram Domino, quia detrahebant
homines sacrificio Domini. Discipli-
næ igitur negotium sic curæ est Celsi-
tudini Vestrae, vt non solum ipse, in
quem cæteri intuentur, & qui patris &
magistri officium gerit, omni pasto-
rali laude excellat, sed etiam illi, qui
circa ipsum sunt familiares, consilia-
rij, ministri pietatem suam imiten-
tur, & omnes qui Duce & Vexillifero
Christo sub signis S. Celsitudinis in
Metropolitana ciuitate & tota Dio-
cæsi militant, castissimè viuant, bonus
odor sint, atque ita vnguentum san-
ctitatis descendat à capite summi sa-
cerdotis in barbam & in vestes usque
ad extremam oram vestimenti popu-
1. Reg. 2.

† 4

li fi-

E P I S T O L A

Ii fidelis. Vigilat igitur zelo domus
Dei incensa, Ecclesiam Dei gerit in vi-
sceribus suis, & charitatis affectu com-
plectitur, ut in bonis operibus vestris
abundet consolatio subditorum ou-
um. Celsitudo Vestra sancti Spir-
itus impulsu excitata, etiam classiuo
Pontificis accedente communicato
consilio cum Reuerendissimo S. San-
ctitatis Nuncio viro præstantissi-
mo doctissimo & zelosissimo Corio-
lano Afferensi Episcopo, de exe-
quutione seria Disciplinæ Ecclesia-
sticæ, quam fructuosissimè & celerri-
mè deliberauit collatis consilijs &
confosciata auctoritate, non dubitan-
dum erit, quin inde Domino benedi-
cente ante omnia magna fidelis po-
puli & cleri ædificatio sit subsequu-
ra. In omnibus laborat, ministerium
implet, ut cum in tremendo iudicij
die apparuerit Princeps pastorum,
& ipse à pastoribus requiret gregem
suum de manibus inquam eorum, nō
inter seruos desides & malos, sed cum
bonis & fidelibus Archiepiscopis
annu-

D E D I C A T O R I A .

annumeretur , & percipiat immar-
cessibilem gloriæ coronam, intret in
gaudiū Domini sempiternum, & non-
breuem huius seculi laudem , sed per-
petuam & solidam gloriam æternita-
tis consequatur. Quod autem Celsit,
vestræ hunc librum inscripserim pie-
tatis & gratitudinis officium necessa-
riò à me sice efflagitabat. etenim antè
annos penè duodecim cum Confluen-
tiæ Archiepiscoporum trium Rhe-
nanorum principum Electorum con-
uentus haberetur, is qui nomine sum-
mi Pontificis præerat Reuerendissi-
mus Nuncius Episcopus Vercellensis
patronus meus meo nomine obtulit
Reuerendissimæ C. V. Hieronymia-
nam confessionem qua accepta adeò
magnificio honorario me Celsit. V.
affecit etiam S. Celsit. non esset inscri-
pta, vt ingratus sim meritò habendus
si memoria mea tātum beneficium ex-
cidere patiar. Impulit me quoq; ea ne-
cessitudo, quæ inter Rodolphum Agri-
colam conterraneum meum tanquā
præceptorem & Joannem Camera-

† 5 rium



EPISTOLA

rium Dalburgum Episcopum VVormaciensem vestræ familie & nominis virum insignem ac columem toti mundo adhuc celebrem intercessit, nec dubito quin Celsit. Ves. quo maiori fulget honore, eo etiam maiori affectu feratur erga literatos & literas, ut veterem Ioannem Cameriarum Dalburgium longè superare contendat. Auctoritas Dalburgij Agricolam Heydelbergam pertraxit, erat enim ante susceptum Episcopatum Cäcellarius Comitis Palatini. Rodolphus in epistola ad Iacobum Barbyrianum vocat Ioannem Dalburgium hominem apprimè nobilem atque egregiè eruditum, & sibi longa vitæ consuetudine, summa benevolentia, summo studiorum consensu, charum atque perinde deuinctum, ait orare illum & hoc à se summoperè contendere, ut ad se veniret, quam primùm id facere posset, acturum secū ea fide, ea benevolentia, quam iam pridem experimento compertum haberet, munificentia verò tanto propensione futurum,

D E D I C A T O R I A.

rum, quanto paratior iam sibi eius facultas esset, quam antea fuisset. Curatulum se & omni enixurum opera, ut intelligeret non sibi magis ipsum honore, rebusque auctum esse, quam illi, diuisurumq; cuncta secum (& quæ lex amicitiæ apud veteres sancta est) omnia eos communia habituros, qua in re Rodolphus morem gessit. Cum autem Ioannes Camerarius Dalburgius Episcopus VVormaciensis Orator & legatus missus esset ad Innocentium 8. Pontificem Maximum nomine Illustr. Philippi Comitis Palatini Rodolphum Comitem sibi adiunxit, qui nomine ipsius gratulatoriam illā præclaram orationem habuit ad Innocentium 8. quæ hodie adhuc inter Rodolphi lucubrationes exstat. Ioannes autem Camerarius Dalburgius incomparabili præceptorí suo post obitum tria græca & quatuor latina doctissima Epitaphia posuit, quæ ante easdem lucubrationes referuntur. Tatum verò Ves. Celsit. Ioannem Camerarium Dalburgiū auctoritate & maiestate

EPISTOLA

iestate excedit , quantum Archiepi-
scopus Moguntinus Romani Im-
perij Archecancellarius , Episcopo
& suffraganeo suo VVormacisi an-
testat ac præeminet . Cùm autem
omnium antecessorum suorum iam
inde à Crescente primo D. Pauli A-
postoli discipulo vsque ad nouissimū
præstantissimum antistitē Danielem
Brendell de Hombergh impressis ve-
stigijs insistat,tum verò præcipuè tan-
quam in speculū intuetur in tres meo
iudicio longè omnium excellentissi-
mos' , Bonifacium , Rabanum Mau-
rum & Albertum secundum Marchio-
nem Brandenburgensem Ioannis Mar-
chionis Electoris filiū Ioachimi pri-
mi elec̄teris fratrem Archiepiscopū
non modo Moguntinum , sed & Ma-
gdeburgensem totius Germaniæ Pa-
triarcham & Primalem Halberstaten
sistem Episcopatus administratorē
à Leone confirmatum & ab eodem
galero Cardinali tio donatum . Boni-
facij totius ferà Germaniæ & Frisiæ
Apostoli & Martyris zclum ardentis-
simum

DEDICATORIA.

simum flagrantissimamque pietatem
Rabani Mauri summam exquisitissi-
mam quæ doctrinam, cui teste Trithe-
mio nec Italia similem nec Germa-
nia æqualem suo seculo peperit, poly-
graphum, diuinum sacrarum litera-
rum interpretem, Alberti secundi tē-
pore ex orientis Lutheranismi poten-
tiam, magnanimitatem, παναρεθη & in
diuino cultu, disciplina sacraque Ca-
tholica doctrina propugnanda insitū
ardorem effingendum imitandumq;
sibi proposuit. Nihil hic addo de præ-
stantibus ingenij vestri dotibus, nihil
de facundia singulari iuncta pruden-
tia rerum Germanicarū toties in Co-
mitijs spectata, nihil de morum gra-
uitate, prudentia Oeconomica. Pari
igitur obsecro animi gratitudine & af-
fectu hos libros de Disciplina, qui cō-
tinent conseruandę Ecclesiæ neruum,
firmamenta, artus & robora, excipiat
quo ante an. 12. ex manibus Reuer. Io-
annis Bonhomij Episcopi Vercellēsis
Nuncij Apost. patroni mei Confluen-
tiæ in conuentu trium Archiepiscop.

Prin-



E P I S T O L A.

Principum Romani Imperij Electo-
rum Hieronymianam Cōfessionem
benignissimè accepit, alacrioremque
me reddat ad Commentariorum Ec-
clesiasticorum de diuinis officijs 4.to-
mos, Animaduersiones contra Ioan-
nis Caluini 4. libr. Institutionum, Sy-
nhodorum Belgicarum & Gallicarū,
Caluinisticarum de Disciplina confu-
tationes & Syntagma Antiquitatū
Ecclesiasticarum in lucem breui ad
honorē nominis sui proferenda. Deus
Optimus Maximus Vestram Celsit ad
ordinatissimam & tranquillissimam
gubernationem suę Ecclesię Mogun-
tiacę diutissimè sanam & in columem
conseruare dignetur. Datum Colonię
Agrippinę ex ædibus meis in Colle-
gio S. Andreæ, Anno Domini 1598.i-
pis Kalend. Iunij.

Vestræ Reuerend. & Illust. Celsit.
humillimus cliens

Cornelius Schultinge
Steinvvych

METHO-